













1431/A liber rarissimus one other copy only known

A Unicum 152956
88

pour Rabelais —
Literature on
Symph Champier

A. XXXIII

16/c

Allut

Etude sur Symph Champier

Lyon 1859.

This book is mentioned by Rabelais in his catalogue of the fictitious Libraire of St Victor as
Campi Clysteriorum par S.C.

M. Allut says this is one of the rarest works of Champier. He knows but one copy — that in Bibliothèque Nationale at Paris

See Étude sur Symph. Champier
p. 218 Lyon. 1859


-A 550 J. F. Payne


bought at Berlin. 1879


See Rabelais
Catalogue of the Librairie — St Victor
Campi Clysteriorum per S.C


Champerius Symphorianus
or Campegius or Champier

[1472–1539?] S.S.









SYMPHONIA

GALENI AD HIPPOCRATEM, Cornelij Celsi ad Auicennam: unà cum sectis antiquorum medicorum ac recentium: à D. SYMPHORIANO Campegio, æquite aurato, ac Fauergiæ Domino, composita.

ITEM, CLYSTERIORVM CAMPI *contra Arabum opinionem, pro Galeni sententia, ac omnium Græcorum Medicorum doctrina, à* D. SYMPHORIANO *aurato equite, ac Fauergiæ Domino digesti, contra communem Arabum ac Pœnorum traditionem summa cum diligentia congesti, ac in lucem propagati.*

SYMPHONIA GALENI AD HIPPOcratem, Cornelij Celsi ad Auicennam: ad Franciscum Syluium Ambianorum præcipuum Oratorem.

PRAEFATIO



VONIAM uir clarißime iampridem Pergamus, ciuitas Asiæ præclarißima, multos splendidißimos uiros protulit: unum tamen inter cæteros singularē Galenum summū philosophum & medicum genuit: cuius scientißima & plurima extant ingenij monumenta, quæ genuinam sapiunt eruditionem. Memoriæ enim proditum est à nonnullis, centum & quadraginta annos uixisse, tantáq; in cibo & potu abstinentia usum, ut ad satietatem nunquàm comederit, aut biberit, nec crudum quicquàm gustarit, unde sit factum, ut odorificum semper anhelitum spiraret. Sed quod longe apud me mirabilius est, citra ullam omnino affectionem, sola defecerit senectute: quod in humanis est rarißimū. Vtcunq;, hinc certe adagium obrepere aduerto, ut Galeni ualetudinem dicamus, pro ea, quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisq; inoffensa. Nec me tamen fallit, quid aduersus hanc astructionem nostram proferri ab erudi-

tioribus poßit, tum ex Galeno ipſo, tum ex ſcriptoribus alijs. Nam Suidas autor eſt, Galenum modo annos uixiſſe ſeptuaginta: Laërtius uero Diogenes ſcribit, annos uixiſſe octogintaſeptem. Ita enim de eo ſcribit Sudas: Galenus, inquit, arte medica celeberrimus, Pergami natus, Marci & Commodi ac Pertinacis imperatorum tempoporibus, Romæ uixit, Niconem habuit patrē, Geometriæ ac Architecturæ peritum: Plurima non in medicina ſolum, ſed & in philoſophia cōdidit uolumina: imò uero in Grammatica & Rhetorica: quæ quod omnibus ferè obuia ſunt, & uulgo notißima, recenſere conſilium nō eſt. In libro de ſanitatis moderatione ita ſcriptum inuenio, quocunq; autore æditus eſt liber is: Annis, inquit, iam plurimis nullis ferè morbis infeſtati ſumus, niſi quandoq; laboribus nimijs Ephemera febre: attamen pueri adoleſcentesq́;, magnas multasq́; incurrimus ægritudines: ſed anno uigeſimooctauo ætatis tranſacto, cum exploratum mihi eſſet, ſanitatis eſſe artem aliquam, eius inhærens præceptis, immunem me morbis, exortēq; cuſtodiui, præter eam, quā diximus ephemeram: quam tamē ipſam declinare poſſem, liberius paulo uiuendi poteſtatem nactus. Porrò in libro de alimentis. ij. ubi de lactuca ſermo eſt, ſcribit: Vtuntur, inquit, ea ex aqua decocta, ſicuti ego nūc incœpi, poſteaquàm deprauati mihi dentes ſunt. Sed & alibi ſcribit, cū circa diaphragma laboraret, ſe ſomniauiſſe, liberatum iri, ſi ſanguinem mitteret ex uena, quæ eſt inter pollicem & indicem: minuiſſe ſanguinem, conualuiſſe. Hæc ad præſens comperta nobis de Galeno, uiro inter Græcos elegantißimo, ſunt Franciſce ornatißime. Galeni enim præſtantiam nō ſolum Græci &

Latini ſcriptores patefaciunt, ſed & Barbari autores. Vñ de Auerrhous inter Barbaros autor præcipuus, quinto colliget, capite de punicis granis: Galenum ita celebrat, ut experientia præcellentem prædicet, ac ueridicum imprimis, ut cui comparari non poſsit alius: Ni forſan is inquit, qui clamat quidem, ſed quid clamet, non percipit ſatis. Auicennam alterum barbarum opinor cõuellens. Qui ſe tamen Galeni fatetur interpretem, ac ſummum quandoq; uocat artis medicæ. Scripſerunt autem iſti duo Auerrhous & Auicenna in medicinis ac philoſophia plurima uolumina, ſed lingua externa & barbara, ex qua nobili ſtudiorum ſtrage medicinæ uilitas orta eſt, inconſtantiſsimaq; omniũ artium facta. Quapropter uir ornatiſsime, hanc Symphoniam ſcripſi, ne Auicenna & Auerrhous ille impius apoſtata Chriſtianos medicos per inanem ac barbarã philoſophiam decipiant. Vale literarum decus, & nos ut ſoles ama. Ex noſtra bibliotheca Lugdunenſi, M. D. XXVIII. XV. Februarij.

MEDICORVM PRINCIPES QVATVOR.

HIPPOCRATES Cous natione, lingua Græcus.

GALENVS Aſiaticus, ac Pergamenus, lingua Græcus.

CORNELIVS CELSVS Romanus, lingua Latinus.

AVICENNA natione Hiſpanus, Hiſpalenſis, lingua Arabs.

Hippocrates Gloriosus, Diuus, Sapiens, Dialecticus, Rationalis, Clinicus, Dieticus.

Galenus Hippocratis uerus interpres, Instaurator Clinicæ medicinæ, Medicinæ princeps.

Auicenna Galeni interpres, inter Arabes autor præcipuus, ingeniosus.

Ex Græcis neminem comperiemus, qui pulchrioribus in Græcos meritis Hippocrati sit præferendus.

Ex Asiaticis neminem comperiemus, qui pulchrioribus disciplinis in Romanos Galeno sit æquiparandus.

Ex Latinis neminem comperiemus, qui Pæonia arte Cornelio Celso sit conferendus.

Ex Arabibus ac Hispanis neminem comperiemus, qui ingenij subtilitate, sermonis breuitate, morum grauitate, Auicennæ sit anteponendus.

Hippocrates in sermone alter Hesiodus, meditatione Democritus, taciturnitate ac doctrina Pythagoras.

Galenus sermone alter Demosthenes, meditatione Hippocrates, doctrina Plato.

Cornelius Celsus sermone Cicero, meditatione Asclepiades, doctrina Aegineta Paulus.

Auicenna sermone Barbarus Arabs, meditatione Abimeron Auenzoar, doctrina Algazel.

COMPARATIO HIPPOcratis ad Galenum.

HIPPOCRATES semina nobis tradidit artis pæoniæ, Galenus autem semina illa excoluit & propagauit, & perfectionem imposuit. Hippocrates

ant*i*

antiquior tempore fuit, Galenus posterior. Galenus artium præcepta scripsit, Hippocrates minime. Hippocrates scribendo amphoristice & sermone breui medicinam nobis tradidit, Galenus copiosius quàm Hippocrates artis Apollineæ præcepta conscripsit, & pleraq; memoratu digna suo ingenio addidit.

COMPARATIO AVICENNAE ad Cornelium Celsum.

FVERE illustres medici Cornelius Celsus & Auicenna: Celsus antiquior fuit tempore, Auicenna posterior: Celsus sermone, elegantia, facundia omnibus medicis anteit: Auicēna sermone barbarus fuit: dum uero scribebat neq; belle quidē literas figurabat, neq; exacte syllabas distinguebat, neq; ullam (more barbarorum) orthographiæ diligentiam adhibebat, soli uidelicet intelligentiæ studens, atq; id quod omnes medici admirantur, id agere ad finem usq; uitæ perseuerauit. Cornelius Celsus uir fuit eloquentißimus, cuius Fab. Quintilianus libro institutionum decimo, capite primo, meminit: ubi de his qui latine de philosophia scripserunt agit: Scripsit (inquit) non parum multa Cornelius Celsus Sceptios secutus, non sine cultu ac nitore. Idem duodecimo, capite ultimo de his qui plura sciuerunt scripseruntq; loquens: Cornelius Celsus non solum de his omnibus conscripsit artibus, sed amplius rei militaris & rusticæ etiam & medicinæ præcepta reliquit, dignus uel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus. Hactenus ille.

DE SECTIS NEOTERI-corum medicorum.

TOTVS fermè terrarum orbis ab Hippocraticis & Galienicis occupatus, in duas ut plurimum sectas diuisus est, Auicennicam, & Auerrhoicam. Illi quidem catenam intelligẽtiarum ac animarum esse existimant, & à prima intelligentia secundam solum prodire asserunt: secundam autem cum ad primam se cõuertens intelligit, producere tertiam: tum deinde eandem seipsam intelligendo, animam primi orbis creare: quod & ad creationis rationem pertinere affirmant Arabes. Auerrhoistæ uero unicum esse intellectum in omnibus hominibus contendunt. Vtriq; religionem omnem funditus æque tollunt, præsertim quia diuinam circa homines prouidẽtiam negare uidentur, & utrobiq; à suo etiam Galeno defecisse: cuius mentem hodie pauci, præter Leonicenum nostrum, Linacrum, Ruellium, Copum, Alexandrumq; Benedictum Veronensem, complatonicum nostrum, ea pietate qua Paulus Aegineta, Alexander Aphrodisæus, & nuper Theodorus Gaza interpretantur. Si quis autem putet tam diuulgatam barbariem, tamq; acribus munitam ingenijs, sola quadam simplici sermonis elegantia apud homines posse deleri, is à uero longius aberrare, palàm re ipsa proculdubio conuincetur. Maiore admodũ hic opus est potestate: id aũt est philosophica quadam ratione, philosophis eam libentius audituris quandoq; persuasura. Placet autem diuinæ prouidentiæ his seculis pæoniam artem, autoritate Hippocratis Galeniq;, ac ratione philosophica confirmare, quoad statuto

quodam tempore uerißimam Romani ſermonis ſpeciem, ut olim quandoq; fecit, manifeſtis per omnes Latinos confirmet latinis ſermonibus.

QVAE FVERINT ANTIquorum in arte medica ſectæ.

ACVTA ingenia plærumq; ſoli ſe rationi cõmittunt, cumq́; à religioſo quodã philoſopho ſectam aliquam accipiunt, ſubito cõem libenter admittũt. Qua quidem imbuti, ad meliorum qñq; ſpeciem ſub genere comprehenſam facilius traducuntur. Itaq; non absq; diuina prouidentia uolente uidelicet omnes pro ſingulorum ingenio ad ſe mirabiliter reuocare, factum eſt, ut pia quædam philoſophia quondam apud Perſas ſub Zoroaſte, & apud Aegyptios ſub Mercurio naſceretur, utrobiq; ſibimet conſona, Nutriretur deinde apud Græcos medicina ſub Apolline, Aeſculapio, Podalirio, Machaone, Centauro, atq; Aſclepio. Philoſophia uero apud Thraces ſub Orpheo atque Aglaopheno. Adoleſceret quoq; medicina mox ſub Hippocrate Coo: philoſophia uero ſub Pythagora apud Græcos & Italos. Tandem uero medicina creſceret ac floreret apud Pruſios ſub Aſclepiade, apud Romanos ſub Antonio Muſa. Tandem uero à Galeno conſumeretur Romæ, Alexandriæ medicina: cum antea ſub Platone & Ariſtotele Athenis conſummata fuiſſet philoſophia. Vetus autem medicorum mos erat, diuina myſteria cum medicina ac mathematicis, tum poëticis figmentis obtegere. Nam ut ſcribit ad Philopomenem Hippocrates: Medicina uaticinio

cognata est: quoniam, inſit, harum duarum artium unus est parens Apollo, qui nobis progenitor morbos futuros prædicit, & ægrotantes curat. Inde & id obseruatum aliquando fuisse apud Aegyptios sacerdotes comperio, unam eandemq; facultatem fuisse pharmacis, fidibus, & mysterijs occupatam. Siquidem Phœbus (ut in epistolis Hippocratis legitur) animi atq; corporis curationẽ coire in unum arbitrabatur. Vnde apud Aegyptios atq; Persas ijdem sacerdotes erant & medici.

DE SECTA ARABVM ac Pœnorum.

A GALENI tempore complures lingua externa scripserũt: quo quidẽ Barbarorum feritas Italiam, Galliam, ac Hispaniam inuasit, & magis literarum decus, quàm urbium ornamenta sustulit: ex qua nobili studiorum strage medicinæ uilitas orta est incõstantißimaq; omnium artium facta. Desierunt pauloante & bellorũ ruinis apud Græcos medici, quorum iniuria in externarũ gentium laudes ceßit. Hinc Arabum & Pœnorum aliorumq; autorum uolumina in tanta rerum inopia recepta sunt: hinc attonitæ quorundam persuasiones prætiosa externa & aliena existimantium, quæ item in latinum male uertendo recentiores Romanam atq; Græcam dignitatem relinquentes, confusis rerum nominibus ad ineptias redegere. Frimordium omnium malorum ex Arabia fuit. Fuit enim semper Arabia pestilens humano generi: sic Mahometus, sic olim Cham & eius progenies, hi malorum dæmonum cultum

cultum induxerunt: ille uero Mahometus ueri dei mira uirtute constitutum sustulit. Ex eadem progenie procreati sunt ille impius Auerrhous pariter & Auicenna. Erantq; illi ingenio acuti, uersuti tamen, & impuri, qui non tam discere quàm deprauare studuerunt, & uetus & nouum sacrarum scripturarum testamentum. Nam acumen ingenij in animo facinoroso, peiorem in partem omnia semper interpretatur: Quapropter ipse Augustinus in libro de doctrina Christiana diffuse docet & philosophorum dogmata, quæ uera sunt, ab ipsorum libris, quasi ab iniustis possessoribus in usum nostrum uendicanda. Sic & Arabum dogmata quæ uera sunt, ab ipsorum libris tanquàm ab iniustis possessoribus accipienda sunt, & in usum nostrum uendicanda. Quare præcipiebat Corinthijs Paulus Doctor gentium, ut cauerent, ne per inanem philosophiam seducerentur, secundum traditionem hominũ, non secundum Christum. Caueamus igitur, ne per inanem ac barbaram Arabum medicinam seducantur Latini medici, secundum traditionem Aboali, Auerrhois, Rasis, non secundum Hippocratem, Galenum, Paulum Aeginetam, Cornelium, Alexandrum, alisoq; Græce & Latine scribentes. Eo uitij Genere nostra tempestate non parum multi metiuntur curiosius quid Auicenna, quidue Rasis, aut Auerrhous ille impius apostata, quàm quid præceperit Galenus uestigantes: semper addiscentes, ut inquit Paulus, & nunquàm ad ueritatis scientiam peruenientes.

Medici

MEDICINAE autem origo, siue Hebræos, siue Persas sequaris, siue Græcos Aegyptiosq; theologos, ab ipsa diuinitate manauit. Nam Hebræi, Arabes, & Persæ primum humani generis parentem Adam eam diuino lumine sapientiam adeptum asserunt. Secundum uero ueteres Apis, Aegyptiorum rex, uel ut alij, Mercurius Trismegistus apud Aegyptios repererunt. Reliqui uero Apollinem ab hominum deorumq; parente Ioue illam suscepisse uirtutem ad humani salutem generis tradidere. Qui deinde Aesculapio reuelauit. Qui uero eos secuti sunt, & innumeri penè reperiuntur: sed præcipui fuere apud Græcos: Centaurus, à quo Centaurea herba: Hippocrates Chous: Asclepiades Prusiensis: Archigenes Græcus: Antonius Musa Augusti medicus: Euax, rex Arabum, qui de herbis & lapidibus scripsit ad Neronem: Sabot, rex Medorum, qui librum de atra bili & cura illius composuit: Mithridates rex Ponti, qui librum de remedijs aduersus uenena edidit, cui duæ ac uiginti parebant linguæ: quorum Commentationes & exempla Pompeius Magnus in Latinam linguam Aleeno liberto suo transferri iußit. Sabid Arabum rex ob medicinæ peritiamapud reges maximos habitus est existimatiōe maxima, in qua ita emicuit, ut etiā medicinæ studiosus aliquando ægrotantibus amicis opem tulerit. Ginges pariter Medorum rex in medicinis clarißimus, adeo gloriæ & honoris cupidus, ut à maximis etiam negotijs non terreretur. Adrianus imperator cognomento Helius consobrinæ Traiani filius, qui, ut scribit Helianus

nus historicus, utraq; lingua eruditus, musicæ medicinæq; artis scientißimus. Qui uero post istos scripserũt ac secuti sunt, & innumeri penè reperiuntur: quales fuere Galenus Asiaticus Pergamenus, inter omnes autor præcipuus, Paulus Aeginita, Alexander Aphrodisæus, Oribaßius, Apollonius, Glaucias, Themison, Dioscorides uir militaris: Pœni etiam multi, quales fuere Rasis, Aliabbas: plurimi Arabes, prout Auicenna, Auerrhous, Auenzoar, Albatarius: item plures Latini, quales fuere Plinius Neuocomensis, Cornelius Celsus Romanus, Antonius Musa: item Hebræi plures ut Rabi Moses, Isaac filius Salomonis, Galahat: plures item Galli, prout Critias ille percelebris medicus Maßiliensis, Ausonius poëta ac medicus Burdegalensis. Alij plures reperiri possent apud nostros, adeo noti, ut prolixiori narratione nequaquam indigeant.

SYMPHORIANVS CAMPEGIVS
Eques auratus, optimis medicis iuxta ac maximis
I. Braillon Parisiensi, atq; Hieronymo Montuo Allobrogi,
S. D.

NON poßum non indolere, uiri præclarißimi, tantam uecordiam in nostræ disciplinæ professoribus, tot seculis uiguisse: ut reiectis purgatioribus literis, hoc est Græcis Romanisq;, sordidißimas nebulonum quorundam nenias, tanquàm cœlitus demissas, excæperint. Indignum (ita me deus amet) facinus, nullis bobus, nullisq; uictimis expian

piandum. Iam eò insolentiæ ac temeritatis deuenerant Arabi principes, ut nobis medicam artem funditus auferre audacißime conarentur: quandoquidem castra soluentes in Græcos ac Latinos omnem belli impetum conuertebant, multaq́; millia processerant, cum deus Opt. Max. (cuius est hoīm repente & cōsilia & animos immutare) ut augu ror sanctiß. Lucæ precibus & orationibus flexus, auxilia rios milites demisit, qui obsidione miseros, Hippocratem, Galenū, Dioscoridem, Paulum Aeginetā, & nostrum Celsum Cornelium, iam deditionem cogitātes, eriperent ac libe rarent: idq́; quanta sit confectū diligentia, in confesso est. Hippocrati non pauci auxilio fuere, Galeno ab Arabum principe oppresso strennue adfuit Vicētinorum dux: præterea ex Gallia Copus, ex Anglia Linacrus, bone deus quo studio, qua alacritate. Porrò Dioscoridi Gallorum uirtus ac ferocia, Venetorum prudentia, Florentinorum diuitiæ opem tulerunt. Quapropter factū est, ut disciplinæ omnes multo purgatiores ac synceriores in lucem prodierint, & ut tanta generi humano commoda accesserint, ut qui olim Arabs medicus unum aut alterum sanitati restituisset, nunc ueritate patefacta, decem posset. Quippe (ut cæteros erro res missos faciamus) quàm inepta quamq́; absurda super exhibitione Clysterum posteritati reliquerint fullones isti, uobis censoribus diligentißimis cognoscēdum commendo, qui & doctißimi estis minimeq́; maligni, quiq́; in hoc negotio præter alios non instrenuam operam præstatis: idq́; propterea libellum quem de Clysteribus conscripsimus uobis nuncupare cordi fuit: quoniam hoc quicquid est industriæ nostræ doctis candidisq́; non uulgariter pla

citurum

citurum noueram, Patere igitur, nunquàm satis laudate Braillon, ut tuis auspicijs tuoq́; præsidio in lucem exeat hæc quantulacunq; opella: quandoquidem exploratum habeo, si quispiam supersit Lutetiæ Campegiomastix, no minus tui splendore territus obmutescet. Te uero Hieronyme, apud Allobroges mihi defensorem & patronum paro, qui ætate, ingenio, doctrinaq; plurimũ potes obgannientibus sycophantis incommodare. Interea feliciter uiuite, beneq́; agite, & quicquid est huius ausi boni consulite. Valete literarum duo lumina,

Lugduni ex bibliotheca nostra,

Calendis Mart.

M. D. XXVIII.

CLYSTERVM

CAMPI SECVNDVM GALENI mentem, ac Græcorum medicorum doctrinam: quibus quicquid in libris ipſorum reconditum ad clyſterum utilitatem, ad medicæ artis neceßitatem cōferri quoquomodo poßit, contra Arabum traditionē, in communem medicorum utilitatem ſumma cum diligētia congeſtum, in lucem propagatur à Dn̄o SYMPHORIANO Champerio, Equite aurato, ac Fauergiæ dn̄o.



OCTRINAM quam medicorum facile princeps Galenus de clyſteribus omnibus ſuis doctißimis libris confirmauit. maximeq; in eo, quem de clyſteribus inſcripſit, Arabibus quibuſdam & Barbaris deprauare placuit: quod non intelligendo, aut eius doctrinam nobis inuidendo fortè contigit, mendacium ueritati præferentibus, & hoc quaſi cognitionis compendium his qui eorum iudicio ducebantur attulerunt: & quæ in Galeni de clyſteribus uolumine errata offendiſſe falſò iactabant, breuium capitum iudicibus publicarent, atq; ut huiuſmodi commento deteſtationē eius quem impeterent obtinerent, & ab his (quibus reclamaſſent) curam exterriti lectoris abſtraherent. Quam ob

rem ne incautus quispiam garrulorum istorũ uerbis fidem habeat, aut posthac decipiatur, atq; ut cognoscat posteritas, Galenum nostrum multo uerius doctiusq́; super hac re scripsiße: paucis eorum inscitiam refellam, doceboq́; quanta in caligine uersentur Auicennistæ, hoc est, ij qui malunt Arabice quàm Latine aut Græce medicari. Non poßum grauiter non ferre, tam tristem ignorantiam in genus humanum sæuire ac debacchari tanto temporis spacio. Quis nõ uideat plus esse ab Auicennistis quàm a morbo periculi? à quibus uitæ spes pretio emitur, unde mors certißima proficiscatur. Quare Laconice (ut dicitur) Galeno duce ad examen rationis adducere libet, quæ de clystere promisimus.

DE CLYSTERIS INVENTIONE & ORIGINE.

CAPVT II.

CLYSTER clystêris latine id est lauamen: nõ quo uulgus Arabum abutitur in neutro genere clystêre clystêris: scribunt ij in suis receptis, fiat clystêre, detur clystêre. Clystêre aluum lauare purgaréue solemus. Pli. Cucurbita infusa clysteribus intestinorum omniũ uitijs medetur. Macer tamen herbarũ uires describens penultima correpta utitur:

Appositus digitis aut intus clystere fusis.

Huic fides non habenda, nam mere Latinus non est. Latine medicantes proferunt, exhibeatur clyster: ut mille alia uocabula & modi, quibus supersedeo. Dicitur & clysterium à quibusdam. Excogitati sunt & auricularij clysteres, quos contenchytas uocant: & uteri, quas metrenchytas, & recti syphones, quibus in uesicam aliquid infunditur

tur, quos catheteras dicunt. Vsum clystêrum in Aegypto auis quædam nomine Ibis indicauit, Ciconiæ ferè similis, & ipsa quoq; serpentum pernicies, hæc rostri aduncitate per eam partem se proluit, qua reddi ciborum onera consueuere. Hinc clystêrem facere primum didicerunt, ut scribit Galenus introductionis medicorum cap. primo.

ARABIBVS AC BARBARIS NOuitij medici nimium tribuunt. CAPVT III.

MAXIME uellem ac summopere optarem, ut quum ceteri Christiani homines, tum uero qui medici uocantur, non tam pertinaci animo Arabicam, hoc est Barbaram philosophiam ac medicinam excolerent, nec Hippocratis aut Galeni aliorumq; priscorum medicorum laudem in Arabiam transferrent: quandoquidem impudenti fiducia, ac perfricta (ut aiunt) fronte Galenum primas tenentē, totis uiribus peßundare conati sunt: in cuius locum sufficerent suum Abohali: peßime (ita me deus amet) de Pæonia ac medica arte mihi sentire uidentur, qui eam putant barbaro præsidio indigere: quod nequaquam factitarunt, quorum tam multis seculis præclara monimenta recepta sunt: inter quos Aegineta Paulus, Alexander Aphrodisæus, Orybasius, ex Latinis autem elegantißimus Celsus: qui tetra ista barbarie totum occupant orbem. Multis annis in tenebris uixit, cum blattis & tineis rixando: nam quid cum amaricino sui? Verumenimuero excellentißimorum uirorum sedulo officio, ac peruigili cura reuocatus,

tus, tandem à tenebris nobis restitutus est, atq; cum eo omnis uetus medicina caput attollere cœpit: Horum nomenclaturam hic subscribere non erit absurdum: & si uino uendibili hædera non opus esse satis supérque cognoscam: Ex his Veronensis Benedictus sua Anatomice clarus, nostri amãtißimus: Thomas Linacrus, qui magnam Galeni partẽ eleganti & exquisito sermone Latinã fecit: Nicolaus Leonicenus Vicẽtinus omni doctrinarum genere clarus homo, qui non pauca Latinis reddidit: Guilielmus Copus Basiliensis, Delphini medicus primarius, Hippocratis Galeniq́; interpres suauißimus: Ruellius cui plurimum Latina lingua debet, ob id quod Dioscoridẽ ciuitate Romana donauerit, Et hi sunt Hippocraticæ Galeniq́; & omnis priscæ medicinæ imitatores ac instauratores, & in arte Apollinea firmæ columnæ. Quod si accurate animaduertamus: & perpendamus: quicquid apud Patauinos, Papienses, Montisq́; pedenses (quos Pessulanos nominant) nostris temporibus hæresum fuit, in hac arte medendi (quas non paucas fuisse accæpimus:) id omne ex Arabum ac Iudæorum fontibus nasci & exoriri facile quiuis perspicit: quorum non modo non cõmoditati erant utilitatiue præcepta disceptationesq́; garrulæ, & futiles, sacratißimæ arti medicæ, uerumetiam maxima incõmoda afferebant, & maximam obscurißimãq́; caliginem induxerunt. Inter hos autem Arabicæ doctrinæ cultores præcipui sunt Fulginas gentilis, Senensis Hugo, Foriliuiensis Iacobus, Sermoneta, Dinus, Thomásque de Garbo, Herculanus, infinitique huius farinæ homines: qui tamen omnes censuerunt, non posse empericorum hæreses extirpari absque fucatrice ista & quæstionaria medicina,

& id adhuc horum simiæ inflatis buccis gloriosæ iactitant: quarum tamen (ut omnibus in confesso est) seminarium existit. Vides ignorantia quid facit? non intelligunt profecto rustici isti & latratores, se pijßimæ ac purißimæ antiquitati imperitiæ dicam scribere: quæ in expugnandis empericorum methodicorumque sectis sophistarum arma nõ habuit: Sepenumero Galenus contra Thessalum methodicorum antesignanum, identidem aduersus antiquum empericum Serapionem depugnauit acriter & strenue. Depugnauit inquam & expugnauit, ac tanquam imbelles & nihili dare manus ei coëgit: tandem in exilium tanquã Tarquinios coniecit, neque redire passus est: ut qui rempub. medicinæ occupare audacißime tentarent. Odiosum puto, & execrandum medicinæ professorem, qui ægrotum medicamentis iam usu probatis curare non uult, sed nouis experimentoq; nõ cognitis: Necnon & nautam qui insuetum iter mauult tenere, quàm id per quod cæteri salua naui ac mercibus nauigarunt: itaq; eò insolentiæ processerũt Arabum scripta lectitando nostri medici, ut ad omne (ut dicitur) quare, clysterem exhibendum esse censeant, arbitrenturque neminem dolore capitis laborantem aut uentriculi curari posse, absq; infusione clysteris. Inquiunt etenim, eorum principem scripto prodidisse: clysterẽ esse medicamentum nobile. O tempora, ò mores, Abhoaly scribit nobile esse medicamentum, quod per turpißima & fœtidißima loca, suas operationes exercet ac perficit. Sed literis euangelicis relictum est nobis: Vehe qui dicitis bonum esse malum, & malum bonum: & lumen esse tenebram, & tenebras lucem, nigrúmque candidum. Similiter uehe qui dicit

turpe

turpe medicamentum nobile, quum nobilitas non dicat neceßitatem, nec inferat neceßitas nobilitatem.

Cerebrū apud Galenum, est corde nobilius, quia in eo perficiuntur actiones nobiliores, intellectiuæ scilicet, & quod in nobiliori sit positum sede.

Cor autē magis necessariū fertur, & quod primum uiuens, postremúmque moriens. O sermo improprius, sermo Barbarus, clyster nobile instrumentum, nobile à fecibus, ab excrementis fœtidis, nobile à flatibus.

Verūtamē lector amice mirū tibi uideri nō debet, si uoce & oratione Barbarus, re & moribus itidē esse uoluerit.

Apud senatū Romanū non licebat olim neque ciui, neq; hospiti lingua peregrina loqui, at solum ipsius urbis uernacula: uos autem Christianæ religionis, artem medicam profitentes, Mahometicum sermonem mordicus tenetis, & huic potius quàm Christiano hæretis: uerum multis in locis aduersus Barbariem uestram dabitur tempus dicere: quandoquidem impresentiarū manifestare decreuimus clysteris per sedem exhibitionē ad infernarum partium morbos à priscis medicis edoctam: utpote alui, omnium intestinorum, renum, metræ, uteriuæ, epatis ac uesicæ, & omniū huiusmodi: non autem uentriculi capitisue, uel cæterorum superiorum membrorum, & longe ab aluo distantium: id quàm diligentißime potero discutere & aperire, ijs quibus medicina uetus non est inuisa, conabor: ut super hac re post tot scriptores frustra scriptitasse non uidear: nonnihil etenim ex nostra quantulacunque doctrina censuraq; præter illos in medium afferemus. Ad quod quum iampridem animati essemus, tamen currentes (ut est in adagio) incita-

uit disceptatio quæ nuper nobis apud Lugdunum in cuiusdam Lucensis (circa spinæ medullæ ortum uulnerati) curatione incidit, cum Ioanne Guilielmo Auenionensi medico, Montispessuli doctore, in Arabica doctrina exercitato, pariterque, ut a suis quotlibetarijs fertur, bene acuto: cuius disceptationis summa (ut breuibus expediam) hæc erat: scilicet de exhibitione clystêris in huius Itali uulnere. Non dubitauit bonus ille Auicennista aut gentilista (ut sic dicam) affirmare constanter, pertinacitérque defendere infundendum potius per inferna medicamētum: quàm per superna, quo materia uulneris deorsum ptraheretur, purgaretúrq; per inferius: reclamantibus tamē Gabriele Syluio Montispessuli doctore & Germano Agrippa uiro multiscio. Ioãnes hic Guilielmus ad ægrum nostrum quum adijsset, ibi nos tres haud sane multum occupatos offendit: sedebamus etenim cum chirurgis duobus artis chironiæ peritißimis Ioanne Burino & Andrea. Hic inquam mox ubi pulsum (ut moris est) tetigit, quasi prohemuo quodam ad rem tempúsque accommodato proloqui exorsus est, sermone orationéue Arabiam referente: Domini mei iste noster patiens indiget euacuatione, oportet ipsum purgare cū Enemate, quia nobile est medicamentum, ut uult princeps Abhoaly. Ad hæc autem respondens ego: perdifficilis mihi & imprimis ardua uidetur quæstio, non solum apud græcos, uerum etiam Arabas Barbaros, an uentriculus attrahere queat medicamen in intestinis existens, an uero uirtus pharmaci quod in aluo est à capite, collo, spina, uentriculo, absque ui & pernicie. Hæc enim quæstio nodosa & non parum morosa est, & haud scio an tibi cognita: uellem igitur ut mihi

non Guilielmus esses, sed Oedipus: uerum ubi tam repente hominem perturbari conspexi, hoc pacto hunc alloquutus sum: Nō est mi Ioannes cur adeo commoucaris cum nobili pharmaco tui Auicennæ, iure tamen uicem tuam indolere potes, si hūc scrupulum qui multos male habet, non remoueas, qui in Auicennæ canonibus & Forliuij propter quid, consenueris, peruigilique studio eorum scripta euoluendo ad caniciem perueneris: quod assecutum esse tuum Abymeron Auenzoar sapientem uide: aperto igitur Auenzoar libro, manu ducens eum indicaui locum, quem super hæc conscripserat: quo non parum refrixit calor ille quem (opinione Auicennæ fretus) conceperat: nam id ex Galeni autoritate Auenzoar literis mandauit: Multa sunt ad hoc pertinentia apud Aeginetam Paulum, Aphrodisæum Alexandrum, Claudium Galenum, quos si tibi lectione familiares effeceris: probe & ad unguem nouisse potuisses: sed qui hos perlegisset, quum uir alioqui Arabice doctus dispercam, si sapientem illum (nisi nomine tantum) nouerat, ob id ferociter repugnabat dictis meis, sed ob oculos obtruso libro, Galeni uirtute munito, tanquam attonitus obmutuit: sic dimissa consultatione imperfecta & truncata abiuimus. Hic asscribam ipsius Abymeron uerba: quia memoria dignißima & ueterum medicorum studiosis imitatoribus non incucunda fore sperauimus: & ad salutem generis humani (quæ tot iam seculis in tam grauibus periculis est uersata) non incōmoda. Hi namque garruli ex tranquillißima re in dißidia periculosa medicinam coniecerunt.

ABYMERON AVENZOAR DE *clyſteribus opinio.*
CAPVT IIII.

AVENZOAR *inter Arabas uir in medica arte (Auerrhoë teſte) eruditiſsimus, & in morali philoſophia non uulgariter doctus, in legis Mahumeticæ ac nefandæ aſſertione neruoſus, ingenio ſubtili & acri, eloquio (more Arabum) Barbarus, uitæ apud ſuos probitate conſpicuus: id proptcrea appellationem ſapientis præclaram nactus eſt: multa poſteris ingenij ſui monimenta (quamuis Barbara lingua) non pœnitenda reliquit: ut qui potiſsimum Galenum ſibi ducem propoſuerit. Ex his autem unum apud me habeo, cui titulus Theſir præfixus: opus non elegans, at ſententijs refertiſsimum, atque ab Auerrhoë (ſupra quàm cuiquam credibile eſt) laudatum: ut non dubitauerit omnibus medicinæ Arabicæ ſcriptis præferre. Quare operæprecium nobis uidetur hic ſubſcribere ipſius Theſir uerba, quæ libro primo, tractatu decimo, capite decimooctauo & poſtremo leguntur. Quidam (inquit) nunc reperiuntur medici, quì probare nituntur alimentum nequaquam ab inteſtinis recipi per ſedis infuſionem poſſe, ut ad uentriculum deueniat: & hæc Galeni dictis fulciunt inquientis, quod neque ad ea quæ uicina uentriculo ſunt ſubire poteſt quod per ſedem infunditur: quo argumento afferunt nutricationem per inferna iniectam exhibitámue ad ſtomachum repere minime poſſe: uerum enimuero hi nimis quã falluntur: comparando medicamenti infuſionem per clyſterem, alimento*

hac parte

hac parte quoque exhibito: quandoquidem in confeſſo eſt, uiolẽtiam impulſumue & impetum clyſtêris haud eſſe tam acrem, aut uehementem, qui ad ſtomachum pharmacum deleget: eáque gratia, quòd inteſtinorum facultas attractiua uentriculique medicamina inuiſa habet, & ſic non attrahunt, imo potius expellunt, deijciunt, ac detrudunt: Alimentum uero humanæ naturæ amiciſsimum & maxime neceſſarium (ut pote quo ſemper indigeat) ubi inteſtina diligenter abluta & expurgata fuerint ab excrementis & fecibus per partes inferiores datum, idque eſuriente uentriculo, ac uigente in inteſtinis attractiua ui ab inteſtino ad inteſtinum raptum & deriuatum, ad uentriculum uſq; perreptat: Neque in clyſteris medicamentis uim ullam eſſe quis arbitretur, qua ab infernis partibus ad ſupernas natando conſcendant: quemadmodum fuluæ flauéue bili uſuuenire clarum eſt: quæ nonnunquam ad ani uſque fundum deorſum fertur, ubi magna ſui acuitate & ardore feruenti ingruat ſtimulátque deiectionis cupiditatem: nam (ut ait Galenus) contingere poteſt hominem diutiſsime continere feces, & ſtercora neceſsitate ingruente ac urgente, ut pote in conuiuijs lautis accumbentem ac in cœtu & contione præclara aſsiſtentem: ita quod bilis illa acuta ad ſuperna recurrat: quum ad uentriculum aſcendat: quæ quum ſit humanæ naturæ aduerſa, protinus uomitione excernitur: Hactenus ſapiens Arabs. Dic quæſo candidiſsime lector, nonne indignum, & ægre nobis ferendum, tot ineptiſsimos & erroribus ſcatentes libros, non modo nõ flammis inijci in publico poſitis more maiorum, uerumetiam apud nos in honore & præcio eſſe maximo:

ximo: ita ut non præclarißimis priscæ medicinæ patribus Hippocrati & Galeno solum conferant, sed & (si dijs placet) anteponāt, & omnia quæ Abhoaly, aut quotlibetarius Foriliuiēsis, Fulginas, aut Hugones, Calculatores, Garbones exarauerint, pro uero recipiunt, & tanquam ex tripode aut oraculo (quantumlibet sacro) excipiunt responsa. Quare non possum me continere, non possum meo animo imperare, quin male precer ijs, qui in causa sunt, & qui nos ad quæstionariam medicinam à tribus Galeni nunquam satis laudatis doctrinis transtulerunt. Dij itaque uobis malefaciāt Patauini, Salernitani, Ticinenses, Montisque pedēses, neoterici iniustißimi, qui principum uestrorum tyrannide in hominum perniciem & bonarum literarum calamitatem Arabes, Persas, Indos, Mahumetistas, ciuitates, gymnasiáq; uestra introire, & occupare permisistis: Videte quid feceritis, ad quam miseriam genus humanum redegeritis: male profecto inconsideratéque uel fecisse arbitror, nisi si incommodo nostro malóque gaudetis & exultatis: in locum ordinémque Hippocratis, Galeni, Nicandri, Oribasij, Aphrodisæi Alexandri, Prisciani, Plinij, Cornelij Celsi, Sereni Sammoniaci, aliorúmque (ut breuiter loquar) Cygnorum suffecisse Picas loquaces & garrulos: Anseres obstreperas Hispalum principem, impium Auerrhoim, Rhasim Pœnum, utrunque Haly, cæterósque Mahumeticæ hæreseos assertores, qui non Rhomana, at Barbara & punica loquantur lingua: non morum ciuilitatem urbanam, sed agrestem rusticanámue præ se ferant immanitatem: non sunt ex Ansere progeniti, quæ capitolium olim Rhomanum a ferocia Gallorum clangore eripuit, Sed ex ijs originem traxerunt

runt

runt, quæ in uijs ac plateis prætereuntes insibilant, & ad aspectũ cuiusuis obstrepunt: inquietant isti nebulones ciuitates, pagos, rura nostra sophismatum bene (ut inquiunt) acutorum cauillo: & titillantibus argutijs ab idiotis, & uulgo nummos æruscant, & abradunt, ita ut merito æruscatores iuréque dici debeant: proh dolor adeo sibi placent, suas erigunt cristas, ut Cygneam uocem cantionémque habere opinentur, quum tamen plane sit Anserina, aut (si maius) Coruina: quàm acerbum quæso nobis est qui Cygneã, id est, Galeni uocem non ignoramus, paßim in raucarum anserum clamoribus obsurdescere. Cæterum si causa priuata magis quàm publica excitauerit, ausculta paucis, nam & meo iure commoueri debeo: nudustertius quidam in Arabum doctrina magnus (si quid tamen potest esse magnum in hac Barbara doctrina) audebat ingenti & petulanti fiducia Galeno Abhoaly anteponere. Cum alia multa proferens, tum illud à uero quàm alienißimum euomuit: nullis in locis suum principem errauisse, & potißimum in medica doctrina. Ego qui noßem hominem, non parui alioqui nominis & autoritatis, tanquam colaphum mihi inflixisset, & qui nostro Galeno non leuem iniuriam faceret, in iram prolapsus sum: uerumtamen animum meum colligens & reprimens, eam relanguere permisi: quare inultum tunc temporis id a me abstulit, in aliud enim tempus uindictam producens & differens, grauius supplicium de eo sumere cogitabam. Ad hunc igitur subridens: Aperi quæso & propala doctrinam illam tui Auicennæ reconditam, quam Galenus ignorauit, & si me tuis rationibus uincas, Galeni castra deseram, atque in Arabiam transfuga aufugiam:

giam: Quibus perterritus uir bonus obmutuit, eóque dimisso, ad alia quæ me uocabant negocia properaui. Verum ne uos multis morer, & ne in enarrandis Arabum stultitijs longius quàm proposueram euagetur oratio, ad clysterem redeamus: qui has mouit turbas.

Galenus inter medicos doctißimos clarißimus, & inter clarißimos doctißimus, libro methodij curādi quinto, exarata nobis hæc uerba tradidit. Quæ in intestinis ulcera essent bifariam esse curanda: nam (inquit) quæ uentriculo uicina sunt, his per bibita comestáque succurritur: quæ uero inferius sunt sita, per ea quæ inijciuntur: quando neque ad ea, quæ uicina uentriculo sunt, subire potest, quod per sedem infunditur: nec integris uiribus ad inferiora pertingere, quod per os sit ingestum: Hactenus ille. Quis Galeno nostro doctius, quis excellentius uerìusque aliquid dicere potest in arte medica? Vides lector hunc ueritatis scopum attigisse? Idem Myamir nono cap. vi. de cura disenteriæ, componit clysteres ex arsenico, & calce, & rebus perimentibus uenenatisque: quæ si ad stomachum pertingerent, periret profecto æger: quare naturalis calor non eodem operatur modo in aluo & intestinis, quemadmodū in uentriculo qui totius corporis est coquina. Dicet forsitan hic aliquis, in apoplexia exhibentur clysteres: hoc tanquam ex Apolline acceptum memori mente recondant, non infundi clysteres, ut caput purgent, & ab eo trahant curatione canonica, sed ut moueant & irritent naturam succumbentem & desperatam: non ignoramus etenim senem Coum in aphorismis præcipientem: extremis morbis extrema exquisite remedia optima esse. Vocat autem (inquit Galenus)

morbos

morbos extremos, summos, ultra quos non sunt alij: ex his autem attonitus morbus est, quem Græci apoplexiam uocant, de qua senex ibidem.

Soluere morbũ quem apoplexiã uocant fortem impoßibile, debilem uero non facile: hæc autem curatio adhibẽda, potiusquam hominem nihil agẽdo perire sinamus. Nuncupatur autem ab istis coacta cura, non regularis. Prohibet omnibus in locis Galenus fortia & acria medicamenta in infusione clysteris misceri, nullisque in morbis commiscenda monet: nisi forte in curatione difficultatis intestinorum, quæ a Græcis disenteria dicitur: componit tantum ex melle solo & oleo & aqua. Idem & Aegineta Paulus censuit, cuius circa finem librum citabimus: Celsum quoque Cornelum producemus de aluo inijcienda, quos omnino contempserunt posteriores.

ARABVM, POENORVM, AC Pharisæorum de clysteribus opiniones.

CAPVT V.

QVod Galenus accuratißime uerißiméque ad posteros, de medicamentis ex inferioribus fundendis, hoc est clysteribus mandauit, Pharisei non pauci dehonestare ac deprauare conati sunt: & sane quidem inquinassent ac perdidissent, nisi Christus optimus sorti humanæ, per uiros probos, & literatos medicæ arti (quæ ab eo propter neceßitatem creata est) opem tulisset: qui nobis eam tanquam ab inferis reuocauerunt, ac è Barbarorũ (quẽadmodũ Camillus è Gallorũ imperio rem Romanam) eripuerunt. Istorũ autem Arabum propositiones hic ascribã, quarũ prima hæc erit.

Clyster:

I. Clyster, licet euacuet materiam, quæ dolorem concitauit: ab omnibus intestinis: craßis ac gracilibus: tamen inferioribus magis quàm supernis auxilio est, mediæ circa media, actionem operatur.

Corolarium: magis igitur purgat infima minus superiora, mediocriter media.

II. Conclusio. Clystêris uirtus uaria est: quandoquidem ubi ab infernis inanire aluum, & euacuare libet, minoris quantitatis debet eius esse decoctum, quando uero à summis uberioris, à medijs moderatæ & mediocris.

III. Est contra Galerium somniantis ac delyrantis Auicennæ (stertit nempe ac desipit, Galeno peruigili ac sapiente, identidem Abhoaly) Iuuat (inquit) superfluitates a primis partibus principalibúsue attrahendo: utpote stomacho, ac epate clyster. Sed dic amabo, quoniam a supernis euacuat: quum prodideris clystêres acrium medicaminum epar debilitare, tum febrim accersere: sed ea possmuus, quæ iure possumus, non quæ ui ac nocumento noxáue facimus. Medicus a mediocritate nomen sumpsit, quæ in eo præcipue debet uigere, ut iuuet naturam non impediat. Si a superioribus traherent à Galeno conscripti clystêres, & ad uentriculum pertingerẽt, ex Arsenico & calce commixti, quæ adurunt rodunt, & exedunt: Arsenicon enim ut scribit Dioscorides lib. v. cap. 75. crustas ignis modo, cum feruore, & uiolenta erosione inducit: quare Galeni medicamina non solum non prodessent, uerum perimerent, & enecarent, & si morbus non adesset, euocarent: ideo non medici appellatione dignus esset, at homicidæ.

IIII. Clystêres duobus modis ex supernis trahunt: primo per formam

per formam indiuidualem (quam specificam, siue proprijßimam, aut occultam physici nominant) hócque pacto clyster ex Agarico, Turbith, aut Scammonea: uerum id Galeno, Paulo omnique ueteri medicinæ reluctatur: Quippe pharmaca quæ ex inferiori parte infunduntur, sine uiolento impetu & nociuo minime trahunt a supernis membris: potiúsque quum acria sint detruduntur, minus namque facile sustinentur: nos tantum possumus: quæ iuuare possunt, non detrimentum & perniciem apportare: quòd si eueniat a superioribus trahi superflua: erit in causa plenior, & uberior decocti exhibitio, quæ a flatibus ad uentriculũ usque eleuatur: Ideo de potentia in actum, a calore stomachi redactum medicamentum: hoc pacto actionem perficeret: quòd si in intestinis & aluo mansisset, nusquam proculdubio de potentia in actum perductum fuisset: quod propterea, in difficultate intestinorum, Clystêrem ex Arsenico & calce moderate inijci oportet, ne forte sic deriuata ad stomachum, noxam ei non leuem afferrent, & animalis corpus totum pessundarent. Porrò in attonitis, id est apoplecticis, Lethargicis, ueternosis acres si infundere expediat clystêres, maioris quantitatis sit decoctio, ut exactius a capite repellant, & euacuent superflua, non intestinorum facultate (quæ parua est) & fecium latrina, immo uentriculi uirtute in quo corporis coquina peragitur. Secundo autem modo attrahunt à mẽbris clystêres (ut censent Arabes) uirtute cõmuni, sicque trahũt hi q sunt abstersiui & ablutiui repellẽdo & discutiẽdo superflua ab orificijs uasorũ, quæ ad ĩtestina terminãtur,

ob id

ob id(ut aiunt)humores a ſummis partibus mediantibus iſtis ad aluum deueniunt, pariter(ut opinantur)acria medicamina trahunt, uirtutem expultricem ſtimulando, unde accedit motio uehemens, ubi a ſuperiori parte deorſum uerſus fit attractio: uerum(ut prædiximus)non poſſunt hæc abſque damno, & incommodo, & uiolenta ui, naturæ inimica, & ueneni periculo præſenti: quoniam membra ſuperiora non trahunt & appetunt: quæ ſunt eorum maxime contraria, at ſatius quæ delectant & ſimilia ſibi ſunt cõcupiſcunt. Simile enim gaudet ſimili, antiquo prouerbio: prudens natura, edocta trahit quæ familiaria ſibi eſſe percipit, contraria uero refugit & deteſtatur: niſi ſi ab alio fortiori impedimentum ei cadat.

V. Proſunt clyſteres expellendo & abluendo quæ relinquuntur a pharmacis: Nam mox ab aluo & inteſtinis propulſant: quamobrem poſt eductorium medicamen, poſtridie præcipimus dari in aluum clyſterem ablutiuũ, ne longam moram in inteſtinis trahat uis nociua.

VI. Abhoaly ait acriores acutiorésque clyſtêres debilitant epar, caloris eorum gratia: unde febrim euocant, & concitant.

Tecum igitur princeps iamiam ut diſceptem tempus ſuadet. Scribis hos iecori debilitatem inferre, febres ingenerare, quæ Hercle maxima ſunt incommoda: Nam hepar in corpore nobili fungitur officio, ac particulis omnibus eius opus pernēceſſariũ eſt: Galeno vij. methodi curandi teſte, quod ſi intermittitur, corpus non leue periculum ſubit: quare fit, ut intelligentes huius particulæ, tum functiones, tum uſus haud difficulter inuenient, quatenus eius robur

custodiri oporteat. Ad eundem ergo modum & quæcunque partes alijs autores facultatum sunt, harum quoque robur seruare decet, pro facultatis earum usus portione: febres uero sic obortæ & ingenitæ, quid mali animanti præbeant omnibus palam est. Te igitur palinodiæ reum ago: qui uituperes aliâs clystêres acutos, aliâs exhibes. An nescis medicum auxilio esse naturæ debere, haud impedimento, nec morbos introducere: quãdoquidem ut censet Plato nono de legibus uolumine: Medici curantes, qui occiderint sponte, morte plectantur:

Tempus exhibendi clystêrem esse debet: inanito uentriculo, nisi fortè ultra quàm oporteat, debilis esset fame nimia: quoniam utilius esset ante infusionem aliquid cibi tenuis offerre: præterea uirtute existente debili, non debemus inijcere clysterem: imò huius loco glandem balanúmue imponere: Insuper tempore frigidiori: tum non protinus à lauacro balneóue, ne ægro æstus superfluus accidat: quandoquidem lauacrum ebullitionem concitat, humores dispergit per totum corpus, hósque ad exteriora pertrahit: quare quum balnei & clystêris motus contrarij sint, malũ erit si lauacrum continuo consequatur clysterem: uerum balneum potest præcedere clystêrem duarum aut trium interuallo horarum à lauacro: etenim humores succiue faciliorem exitum ac euacuationem obtinent. Cæterum clystêris usum sternutanti bonum minime esse tußientique Abhoaly censet. VII.

Clyster securum est medicamen, non tamen nobile. Prima pars certa est, considerando loca à quibus primum euacuat: nempe ab intestinis, præcipue malos redundan- VIII.

tésue ſuccos depellit. Secunda uero (ut quæ lippis & tonſoribus nota) probatione haudquaquam indiget: quandoquidem à priſcis Hippocrate & Galeno cæterisq; doctiſſimis adhibita, ad ablutionem tantum alui inteſtinorumq́; quæ ſunt fecum & excrementorum corporis receptacula: quæ ſi longiorem in his moram traherent, aluúsque aſtrictior eſſet, animantis corpori non leuiter incommodarent: tamen non debet appellari nobile medicamentum, quod tam rancido & uili fungatur munere, cuius diſputatio tam fœtida uel legentium nares poßit offendere. Scribit Aegineta: ueteres ſatis eſſe putabant ad bonam ualetudinem tuendam, ſi cottidie & alui onera & urinæ, cõmode & ſine repræhenſione pro alimentorum potionisque multitudine deijcerentur, atque procedente ſententia laudabant. Nam quum edendum bibendúmque nobis ſit, neceſſe eſt excernendorum curam rationémque haberi: neceßitate igitur cogente, clyſtêre aluum lubricam reddimus, quem tamen nobilem minime appellabimus, ſed neceſſarium natura nobis auxilium denegante. Sic quoque in ædium ſtructura maximo uſui eſt latrina, & magnopere neceſſaria, ne feculento tetróque fætore ſtercorum aër inquinatus, graues nobis morbos, ac exitiales pareret: quinetiam in ciuitatibus publicæ decernuntur ac conſtruuntur cloacæ, ne paſſim odor tam ingratus inuiſusq́; naribus noſtris ſeſe offerat: quæ licet quantũuis ſint ædificatæ ſplendidæ, tamen ab eis, quantũ poſſumus aufugimus, niſi ſi neceßitas ingruat: prætereuntes inſup nares ſibi obturant, ne odorẽ ꝑcipiant: non nobiles ergo, ſed utiles & neceſſariæ dicuntur. Porrò hos qui has euacuant & expurgant munere, haud fungi nobili,

gi nobili, nemo cui mens adſit dixerit: uerum publice & priuatim neceſſarios atq; commodos non neſcimus. Apud noſtrates iſti oletarij ſtercorarijue ordinis homines, noctu tantum ueſpertilionum more obambulant, necnon ſua munia perficiunt, nam lucem refugiunt, tum quia uulgo inuiſi & ridiculi, ſunt tum quia conſuetudo conuerſatioq; omnibus deuitanda uidetur ob ignobilitatem officij. Quis etenim ignorat caminorum expurgatores plebeculæ riſum & cachinnum mouere? Quis neſcit lebetum reparatores uulgum in riſum conuertere? ita ut clamore munus ſuum indicantes explodantur, ac exſibilentur, neceſſarij tamen (ut qui maxime) reipub. ſunt. Horum nihiloſecius uilitatem & contemptum cloacarij iſti longe latéque ſuperant. Improprius ſermo eſt: dicens nobilitatem ab utilitate & efficacia, aut à ſecuritate dici debere. Apud Platonem nobilitas attenditur aut ex generationis parte, aut materiæ, aut loci, uel ex parte receptionis. Clyſter uero non uocatur medicamentum nobile ex parte generationis, ut ſatis patet: non materiæ, quum omnino ſit ignobilis fœdáque: neque loci, quum ſint inteſtina corporis cloaca latrináue. Quapropter clyſter erit efficax medicamen atque ſecurum. Efficax operatione euacuationis, & id clarum eſt: Securum conſiderando partes, à quibus primum euacuat, quæ ſunt ignobiles. Quippe inteſtina à natura conſtituta ſunt, ad quæ corporis ſuperfluitates deſcẽderent, quare uilia ſunt & ignobilia: quod uero purgat & mundat hæc, ſecurum dicetur: propterea & efficax medicamentum ſecuritatem facit. Non enim (ut Cous ſenex ait libro de pharmacis) utile eſt uehementibus morbis medicamenta

dicamenta eductoria offerre: ſed ſi cui opus ſit clyſtêre ubi uolueris tute infunde.

CLYSTERVM GENERA *quatuor.*
CAPVT VI.

CLYSTERVM *quatuor ſunt genera, mollificatiuum, mundificatiuum, aſtrictiuum, & dieureticũ. Primum, id eſt mollificatiuũ componitur cum mollificantibus, quales ſunt maluæ, uiolæ, brancha urſina, biſmalua, ſemen fœnugræci & lini. Recipe maluæ uiolarũ biſmaluæ brancæ urſinæ ana. M. j. ſeminis fœnigræci Lini concaſſatorum ana. P. j. furfuris. P. ſemis, fiat decoctio ad lib. j. in qua diſſolue cocti mellis diligenter deſpumati uncias. ij. olei communis uncias. iij. cuius loco potes imponere butyri recentis uncias. ij. ſalis dragmã. j. Componatur clyſter & exhibeatur ubi expedict. Secũdum mundificans aliud lene, aliud mordax. Mordificatiuum componitur cum Mercuriali Malua, furfure, ſale, rebúsque acribus, ex quibus ſal gemma & diagredyata, colochyntida Turbith Arabibus familiaria. Græcis autem & Latinis nequaquam: Lene ex Malua Mercuriali, ſicla, caßia fiſtula, & huiuſmodi. Aſtrictiuum genus hoc pacto, Galas tere, tritas aquæ cæleſti miſce, unáque ſine ſale bulliant, tum in colatura diſſolue, Poligoni ſuccum & Corrigiolæ, Arnogloſſæ: Verum prius quàm infundas aſtrictiuum, mollificatiuum exhibueris. Dieureticũ ex radice fœniculi, lappæ, petroſelini, paritaria, ſenatione, in quorũ decoctione adde caßiam &*

benedi

benedictã uel lithumtripum, aut electuarium ducis, adiecto oleo melléque, & aqua marina salsáue.

GALENI AVTORITATES DE CLYsteribus, ex diuersis ac uarijs ipsius Galeni uoluminibus, quibus indicantur abusus erroresq; Arabum neotericorúmq; nostrorum.

CAPVT VII.

PARTICVLA sexta de clysteribus: hæc uerba exarata sunt. In febribus adurentibus clysterem ex oleo tantum, & aqua exhibemus, ut disrumpamus calorem ardentem. Præterea ibidem inquit: Quum repletur intestinum (cui colon nomen est inditum) inde symptomata nociua cadunt exoriuntúrque uentriculo, dolor scilicet, & punctio: quandoquidem ubi id intestinum repletur extenditur, exinde dolor accidit syphac, quo stomachus intestinúmque circundatur: uentriculus autem infrigidatur, necnon lacertus extenditur, qui extensus est supra stomachum intestinúmque ad intestinũ: tunc uero patitur stomachus. Quinto cõciliorum ita scriptum reliquit. Vbi huic qui diutino morbo laborauit, uictúque neutrorum usus est spatio temporis non paruo, clystêrem inijcere cõuenit, astrictiorem aluum habenti, non acria infundenda sunt, sed oleum tantum. Medicamẽtorum decimo. Confert (inquit) sepenumero matrici ulceratæ clyster ex lacte cum lapidibus aut ferro cocto, usui est præterea laborantibus hemorrhoidibus, sedémque ulceratam habentibus. Humorũ primo: In aluum ex parte inferiore salis aquam dabimus ei cuius in

intestinis uulnera putrida sunt, ut abluat & squammas corticésue attrahat, mox aũt ubi mundatus erit locus, hinc demus per inferna quæ purgationem præparant. Epydimiorum sexto literis mandauit: quando humiditates quæ pungunt in intestinis esse suspicabimur, primum necesse est in aluum dare, quod eas abstergat, & mundificet, & ex ijs est aqua mulsa & aqua ordei: Excretis autem humiditatibus infundemus quod punctionem leniat, quódque conglutinet. De cholico dolore libro sexto memoriæ dedit. Clyster ex picis liquidæ partibus duabus, & ex tribus olei cholico dolori non uulgariter prodest, uentriculo haud debili existente. Cautio tamen sit tibi, ne acribus medicamẽtis in clysteris infusione utaris, cui uentriculus debilis est, da in aluũ lenia pharmaca. Methodi curandi decimo. Cura diligenter lubricam facere aluum, huius qui febre conclusa laborat: huic autem oleum mel & aquã exhibe ex inferioribus. Myamir nono, de clysteribus in uentris ulteribus: Habẽtium (inquit) intestina ulcerata clysteres componuntur, ex stipticis mundificatiuis digestiuis soporiferis lenientibus, abstersiuis cõglutinantibusq́;. Exhibeantur autẽ hæc omnia secundum morbi uehementiam, uel horum aliqua. Porrò cũ his erit aqua farris & ordei & uini austeri aliquantulũ. Methodi curãdi quarto: ait. Quæ ulcera in intestinis craßis, ijs quæ per sedem inijciuntur magis egent: quippe cui magis sunt ꝓpinqua, quæ in tenuibus habentur, quoniam & longinquiora sunt & medio situ posita ambo requirunt, & quæ superne sumuntur & quæ per sedem infundũtur. Paulopost. Nec immittere in sedẽ clysteris fistulam cõmode queas absq; uel figuræ uel positura uel utriusq;

indicatione

indicatione. Iam per penem inijcere medicamenta in uesicã sepe necessum est, igitur illud de cathetere apponere opus non est, quod eo probe uti omnino nequeas, nisi & positũ & figuram totius uesicæ plane perspectam habeas. Eiusdẽ Methodi libro duodecimo: De doloris colici curatione non pauca diligenter doctißiméque posteris reliquit, multas super hoc enarrans historias. Hic quum de doloribus quos frigidus humor in medio intestinorum interclusus excitauit, subiecit hæc: Sæpe ex plebe non paucos audias minus sibi dolere colon affirmãtes, quum nec ipsis cataplasma imponitur, nec oleo aliquo perfunduntur, nec per clysterem aliquid infunditur: & sane qui generosi animi fortésque sunt, si mediocri utuntur uictu, tutius longiori in tempore percurãtur, quàm qui uiolẽter. Libro octauo eiusdẽ ijs uerbis scribit. Si omnino uenter astringatur pertrastatis prius præcordijs, mox toto uentre cõsiderabis, num cibus in gracile intestinum aut colon descenderit. Deinde ægrum interrogabis, qua maxime in parte uel rosionem uel grauitatem sentiat: qualesq; habeat ructus: ubi ex ijs compertum habueris in quanam totius corporis parte cõsistat, si in superioribus partibus pendet, aliquid diatriũ pipereum dabis, non medicamentosi illius, sed eius quod in opere de sanitate tuẽda, ceu & simplicißimũ & ijs qui cruditate laborarent aptißimũ laudauimus: post deinde præcordia oẽmq; uentrem perfundes, hæc uero si inferius descenderint quæ uitiosa sunt facies pluris minorisq; ratione id uariãs, siquidem plus & temporis & perfusionis exigunt ad præparationem eorũ quæ deinceps sunt agẽda, quibus in superioribus uentris corruptũ nutrimentũ adhuc manet. Sin motum

notabiliter ad inferiora ſit adiuuandum aut glande ſubdita, aut leui per inferius infuſione eſt: utique ſi roſio ſimul adſit, hanc mitigantibus: ſi flatus, hunc comprimentibus: ſin neutrum fuerit, ex melle & aqua paululumq́; olei id quod ſubter infundetur facientibus. Vbi uero uehementior roſio uiget, ſabinum oleum, in quo aliquid ſæui anſerni liquatum ſit eſt utilius: ſi uero eius copia non eſt, gallinacei ſæui: ſin nec eius facultas eſt, caprini: quod ſi huius quoque eſt penuria, inijciendum oleo parum ceræ eſt, potiſsimum elotæ: flatus uero ſanandi ſunt oleo in quo Ruta & ſemina quæ flatus diſcutiẽt fuere incocta, cuiuſmodi ſunt Appij, Cumini, Maratri, & Sinonis, aliáque huiusmodi. Libro eiusdẽ Methodi quinto. Quæ ſunt (inquit) in inteſtinis bifariam curabimus. Nam quæ uicina uentriculo ſunt, ijs per comeſta & bibita ſuccurritur, quæ uero inferius ſunt ſita, per ea quæ inijciuntur. Quando neque ad ea quæ uentriculo uicina ſunt ſubire poteſt, quod per ſedem infunditur, nec integris uiribus ad inferiora pertingere, quod per os ingeſtum ſit.

QVID DE CLYSTERIBVS Aegineta Paulus, & Celſus Cornelius ſcripſerunt.

CAPVT VIII.

PAVLVS Aegineta lib. præceptorum ſalubrium cap. 44. Sunt (inquit) nonnulli aluo adſtricta, quorum ſtomachus ob imbecillitatem non ſuſtinet, ea quæ uentrem ſubducunt: ij clyſteribus ſoluendi ſunt, itaque retentam in inteſtino pituitam purgabimus, coquentes ficus aridas, Betam, Nitrum, agreſtis Cucumeris radicem cum

melle atque oleo, uel Chamemelino, uel Anetino. Si uero ſiccitas infeſtauerit, decoctũ ex Althea & fœnugræco, & camemelis inijcimus, oleum adijcientes, & paulum mellis. Interdum etiam oleum per ſe, duorum acetabulorum quantitate iniectum, deſideratum præſidium attulit: hoc tamen nõ aſsidue faciendũ eſt, ne ob crebram irritationem natura ſpontaneæ ſecretionis opus tradat obliuioni. Sæpenumero glandibus utimur ſtercoris educendi gratia, ac in his quoque quibus id quod per clyſtêrem iniectum eſt non educitur. Celſus autem Cornelius noſter libri ſecundi capite undecimo, ubi de deiectione conſcribit. Quum aluus inijciẽda eſt, ſi leni medicina contenti ſumus, pura aqua, ſi paulo ualentiori mulſa, ſi leni ex aqua in qua fœnugræcũ uel ptiſana uel malua decocta ſit. Si reprimẽdi cauſa, ex uerbenis. Acris autem eſt marina aqua, uel alia ſale adiecto: Atque utraque decocta commodior eſt. Acrior fit adiectio, uel oleo uel nitro uel melle quoque. Si acrior eſt eò plus extrahit, ſed minus facile ſuſtinetur. Id quod infunditur neque frigidum eſſe oportet, neque calidum, ne alterutro modo lædat: quum infuſum eſt, quantum fieri poteſt continere ſe in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati deiectionis protinus cædere ubi neceſſe eſt, tum demum deſidere.

HYPPOCRATICAE Sententiæ.

CAPVT IX.

ERANT hec uel nimiò plus ſatis, uerum ut Barbarorum iſtorum inſcitiam paulo etiam perſpectiorem atque excuſsiorem candide Lector habeas, libet &

dicta Hippocratis nostri (quæ obmittere planè nefas erat) hic suppingere: Scribit enim regiminis acutorum primo, Illi qui nuper cibum sumpsit, si uiribus abundet, & etate floreat, clyster immitti debet, si cibus iampridem ingestus descenderit, nondum: inualido autem glandem supponere oportet, nisi sponte deiectio sequuta est. Porrò eiusdem regiminis lib. quarto. Quibus incipiẽte morbo urina crassa est, aut ueluti nubeculæ, in ipsa suspenduntur, eos purgare conuenit, si nihil aliud obstiterit: qui uero tenuem urinam ab initio mingunt, medicamento purgandi non sunt, sed clysterem exhibendo, eos curare in hunc modum oportet. Item ibidem post uenæ sæctionem ad animi usque defectum in peripneumonia & pleuritidæ clysterem exhibere præcipit: quibus adiecit Galenus: nisi si spontanea exierint probe. Cæterum idem eodem in libro: Arida (inquit) cholera uentrem inflat, strepitum & dolorem, tum laterum tum lumborũ excitat aluus nihil deijcit sed astringitur. Eum qui sic affectus est obseruare oportet, ne uomat, sed aluus ducenda est: proinde ex aqua calida eáque quàm pingui clysterem adhibe. Galenus hunc enodans locum: Clyster (ait) pinguis sicci intemperiei curatio est propria. Perpende quæso amice Lector, tam salubria præcepta imperatorum nostrorum, & omnes stolidorum istorum errores ab ipsis usq; radicibus ex animo reuellas, atque in eorum locum salutares opiniones, hoc est Hippocraticas & Galenicas inseras.

Ex arabibus

EX ARABIBVS ET HORVM *imitatoribus quedam, que an sint probanda uiderint docti.*

CAPVT X.

ET quoniam scribenti aliud ex alio in mentem uenit, subtexam Arabum quorundam, eorumq; qui eos sequuti sunt, de clycteribus iudiciũ, primumq; blasphemi auerrhois septimo sui colleget uolumine cap.i. Clysteribus utimur(inquit)ubi superfluitates solũ ex intestinis trahere decreuimus,aut per uiam ad oppositam partem deriuandi materiam, & quemadmodum nonnulli uomitum in infernarum partium morbis commendant,sic & pharmacum in affectibus superiorum laudatur. Porrò quidam sunt exhibentes clysteres quando per superna medicamen eductorium ingerere minime possunt.Hæc autem Nycolus Florentinus sermone suo secũdo, capite de clystere nomine dicentis obmisso refert.Vbi non pauca,ordine nullo accumulauit. Rasis sui Continentis nono, copiose super clysteribus posteris reliquit:ubi & librum clysterum nomine Galeni inscriptum Ruffi esse confirmat. Scribit uero hic Rasis,clysterem bis térue inijcere poterimus die eadem,idque potißimum ulcere in intestino recto existente, aut apostemate calido deiectionem excrementorum prohibente. Qui(ut idem paulo post)clyster si uehementis fuerit caliditatis,morbum(qui tinesmus dicitur)accersit, si uero summæ frigiditatis, flatum gignit, aluum astringit, malo quoque est intestinis & uesicæ. Quamobrem energia actiue tepidum esse conuenit, aut ad exiguũ declinantẽ calorẽ, præterquàm in dolore colico à calore prouenienti, in quo actu debet esse calidus,

quantum

quantum tolerare poterit æger: cæterũ ait quoque clysteri duobus meatibus opus esse, unumq; immittendo decocto quadrare, alterum ad flatus emittẽdum. Prætera noli exhibere clysterem ieiuno stomacho, nisi si ægri debilitas uetet. Vbi Nycolus: coacte omni hora necessario iniici potest. Quid noui affers bone uir? Subscribam adhuc paucula quedam Continentis: Adijce (inquit) de oleo in iuuenũ clysteribus, indigent etenim humectatione siccæ substantiæ: mel uero adaugeas in iniectione senum simul ac oleũ. Oribasius (apud Nycolum) ad flatũ fiat ex aqua calida clyster, nam tepida flatus ingenerat. Qui eodem in loco infit: Debent caueri clysteres Balani ubi opium & narcotica miscentur: quandoquidẽ Galenus octauo epidimiorum teste Rasi nono Continentis, uidit quosdam supposuisse sibi quo perierunt: testatur Nycolus se uidisse puerum cui ob tinesmi cruciatum intolerabilem appositum fuit opium obijsse: Senẽ quoque cui ob immensum colicũ dolorem cũ clystere opiũ iniectum fuerat occubuisse, Galenus tamen noster secundo ad Glauconẽ inquit: Vti oportet Philonis medicamento, omnibusq; ex opio confectis, nõ statim, sed post tempus cõpositionis annuum, aut omnino semistre: Maxime uero atq; citißime ex potu horũ medicamentorũ laborantes sani fiunt. Vbi intestina gracilia patiuntur, sicuti ex his que sedi imponuntur, crassorum intestinorum paßiones præsentaneũ habent remedium: ubi & de clysteribus que in dolore inferioris uentris ex spiritu conueniunt, doctißime memoriæ dedit. Præterea copiosißime libro methodi curãdi duodecimo, de anodynorum usu tradit, ubi hec pulcherrima & cõmodißima leges. Esto igitur terminus quem non preteribit is qui

ex arte generose contra morbũ pugnat, ut tutò medicetur. Ei uero qui dolorem mitigat ipsarum uirium custodia, ubi ultra pergitur, crudelis hominis officiũ facit, q una cũ morbo uitam quoq; homini aufert. Qui uero cubantis delicijs subscribit, eiusq; uoluptatẽ pro meta gerẽdorũ habet, adulatoris. Ergo ueluti in omni totius uitæ habitudine tũ actione, ita hic quoq; consilium illud sapientis qui ne quid nimis, dixit, complectemur, habentes pro fine quò tendamus cubãtis utilitatem.

Committunt Arabes horumq; imitatores tum in his tum in alijs remediorũ generibus non paucis eiusmodi excessus. Quandoquidem siue per os siue per inferna medicamenta eductoria quæ uel polyphemum aut bryareum debilitarẽt, hominibus quos nũc terra pusillos educit, exhibent, & id Christiani quàm Mahumetici cõfidentius, quorũ errata si propalare animus esset, possem copiosum uolumen implere. Vnum tamen è multis hoc in loco censui aperiendũ, quod arrisurum spero literarũ purgatiorũ candidatis, atq; Hippocratici præcepti amatoribus, uidelicet ut medicus quisq; fraterne, amice, fideliterq; curare debeat: quis etenim ignorat in medicandi arte etiam minimum erratũ citra uitæ humanæ incommodum haudquaquam committi posse, in qua etiam teste Plinio nullum mendacio periculũ maius, quoties suasu Auicennæ insalubria pro salubribus obtulerunt? Quoties salutares respuerunt eius autoritate freti? Quot in locis Serapio Arabs herbas scribere aggressus, Dioscoridẽ male imitando peccauit? quorum temeritatẽ magna ex parte manifestã habemus opera & ingenio Leoniceni, uiri omniũ disciplinarũ peritissimi: cætera Ruelli industria propediem auspice

(auſpice Chriſto) in lucem uenient, magnum certe ex Serapionis erroribus generi humano detrimentū imminet, quem in ſimplicium medicaminum deliniatione à longo temporis curriculo ſequuntur medicinæ profeſſores.

Lector amice, abducito te quantū potes ab Arabū lectione, qui omnia deprauarūt, Viros autem doctos in colloquiū aſciſſe, in primis autem Hippocratem & Galenum facito tibi familiares. Hi tibi habendi ſunt ſemper in ſinu nocturna manu uerſandi, uerſandi diurna. Porrò quantū ad ſimplicia pertinet, Dioſcoridem tam apud Græcos quàm latinos atq; etiam Barbaros ſummum autorem præcipuumq́; ducem accipe, quem Plinius nō minus quàm theophraſtū in hac parte ſequutus eſt: poſt quem Galenus in deſcriptione ſimplicium ſuperdediſſe fatetur, quoniam affatim ſatiſfeciſſet.

Præcor autē Ieſum ut ſalubribus tuis cœptis benignus aſpirare dignetur: Bene uale, & hæc quantulacunque boni conſule.

FINIS.

